



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Simplicitas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

mere, genubus flexis vsque ad notabilem corporis fatigationem manere, & alia eiusmodi. sed oportet se suauiter & humiliter gerere, atque cum Propheta dicere, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Præterea ad hoc exercitium, uti ad alias actiones omnes adferre oportet, bonam & sanctam intentionem, ut non quærat quis semetipsum, vel gustum & consolationem suam, sed purum Dei honorem ac beneplacitum.

SIMPLICITAS, HUMILITAS,
reuerentia, & puritas con-
scientia.

SIMPLICITAS debet esse orationis focia, ut non quærat quis subtilia, & curiosa in meditatione, uti sunt elegantes conceptus, vel insolitæ visiones: quia Deus cum non curiosis, sed cum simplicibus esse & conuersari amat. *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Adde quod simplices ad orationem & meditationem videantur esse quam maximè apti, & diuinarum illustrationum capaces.

Prou. 3.

HVMILITAS quoque & reuerentia tum exterior tum interior meditato est necessaria, qua se coram Deo, animo & corpore, adhibita nihilominus supradicta discretionem prosternat, recordeturque se consistere in praesentia diuinæ Maiestatis, qua nihil maius aut melius cogitari potest, vti supradictum est.

AD HAEC oratio maximam requirit conscientiae puritatem & vitae sanctimoniam. *Beati enim mundo Matt. 5., corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Atque hinc fit, quod, qui laxae sunt conscientiae, & leuiore defectus euitare non curant, nunquam in oratione aut meditatione profectum aliquem facturi sint.

COLLATIO CVM ALIIS, PRÆPARATIO, & perseverantia.

AD rectè orandum non parum confert, sæpenumero cum alijs de rebus spiritualibus, & ad deuotionem spectantibus tractare, & sermonem conferre. Huiusmodi enim collationes siue sermocinationes animum
in,